

www.e-rara.ch

Antonini Liberalis Transformationum congeries

Antoninus

Basileae, 1568

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-153>

M. Antonini imperatoris de vita sua liber XII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Itaq; inquit, non de leui re, sed de infamia certatur, nisi Socrates dixit. Vultis ne compotes rationis animos habere, aut non? Volumus. Cuiusmodi: bonosne, an prauos? Canos. Cur ergo non quaeritis? Quia habemus. Quid igitur contenditis?

M. ANTONINI IMP.
peratoris de Vita sua Liber XII.

OMnia ista quæ per circuitus temporum adipisci optas, iam nunc habere potes, nisi tibi ipsi inuides. hoc est: Si omne id quod præterijt, omittas, futurum prouidentia committas, id modo quod præsens est, dirigens ad sanctitatem & iusticiam: alteram, vt boni consulas ea quæ tibi fatum tribuit (etenim id natura tibi attulit) alteram, vt liberè ac sine ambagibus veritatem loquaris, agasque secundum legem, & vt dignum est. Non impediatur autem te neque aliena malicia, neque opinio, neque vox, neque sensus circumdata tibi carnis. Id enim curret, quod afficitur. Itaq; iam in exitu cum sis, tantum mentem tuam, idque quod est in te diuinum

num, veneraberis: neq; mortem metues, sed ne quando viuere non secundum naturam incipias. Sic homo eris dignus mundo, qui te protulit: neq; amplius eris tanquam peregrinus patria tua, admirans ea quæ quotidie eueniunt, neq; de hac vel illa re dependebis.

Videt Deus omnes mentes, nudas à vasis materialibus, & corticibus istis atque repurgamentis. Sola enim sua intelligentia sola ista cōtingit, quæ ab ipso huc defluerunt ac deriuata sunt. Quod ipsum tu quoque si facere adsuescas, magna ex parte efficies, ne ita circumtrahare. Quis enim non aspicit carnem circumiectam, is ne occupetur in veste; domo, gloria, reliquisq; exterioribus, ac quasi tabernaculo contemplando?

Tria sunt, ex quibus constas: Corpus, anima, mens. Priora duo tantum ea ratione tua sunt, quod eorū curam geris: tertium solum verè tuum est. Quod si separet à te, quæ alij dicunt aut faciunt, aut quæ tu ipse, aut quæ te futura perturbāt, aut quæ corpori tibi circumdato, vel animulæ vnā natæ præter tuam voluntatem accidunt, ac quæ fluctus externarum rerum voluit: ita vt intellectus ab
illis

illis rebus quę fato vnà sunt, exemptus liberam apud seipsam vitam viuat, agens inſta, probans euenta, dicens vera: ſi inquam remoueas à mente res quę ei conſenſu quodam naturę adhærent, itemq; futurum & præteritum tempus, efficies ex teipſo globum, qualis ille Empedocleus:

Se ſolo exultans, totus teres atq; rotundus.

Diſces id tantum viuere quod viuis: hoc eſt, in præſentia. Ita fiet, vt quod ad finem uſque vitę tibi ſuper eſt, poſſis abſque perturbationibus generoſè, & genium tuum probans atque amans, exigere.

Sæpenumerò mihi mirari ſubijt, quid nam eſſet rei, quòd homines cum ſeipſos magis quàm quenquam alium diligant, tamen ſuam de ſeſe exiſtimationem minoris ducant quàm aliorum.

Quòd ſi quis Deus, aut prudens præceptor mander, ne quid homo apud ſe ipſum cogitet, animoſue concipiat, niſi id ſtatim ſit prolaturus, certè ne vnum quidem diem id toleret: adèd magis veremur quid proximus de nobis ſit exiſtimaturus, quàm quid ipſi nos.

Qui ſit, quòd dij, cum omnia pulchrè

y &c

& humaniter ordinauerint, hoc vnum neglexerint, quod nonnullos homines apprimè bonos, ac qui plurimis suam erga Deum pietatem quasi symbolis fecerunt testatam, numiniq; sese familiares multis pijs actionibus & sacrificijs effecerunt, semel fato functos non reducūt, sed omnino extingui sinunt. Id autem si ita est, scias deos aliter instituturos fuisse, si aliter fieri expediuisset. Nam si erat iustum, erat utiq; etiam possibile: ac si erat secundum naturam, certè natura id tulisset. Quòd ergo res non ita habet (si tamen nō ita habet) id tibi faciat fidem, nō fuisse ex vsu, vt aliter quàm est fieret. Vides enim ipse quoq; te, dum hoc scrutaris, cum Deo de iure disceptare. Atqui non hoc modo cum dijs colloquermur, nisi eos optimos esse & iustissimos putaremus. Si autem tales sunt, nihil certè in rerum dispensatione iniuste ac contra rationem neglectum præterierūt.

Adsuefac te ad ea etiam, de quibus desperas. Etenim læua manus, cum ad alia obeunda sit inhabilis, propterea quòd non consueuit: tamen frænum fortius, quàm dextra, continet.

Qualem te corripiet mors corpore &
ani-

animo? Considera vastitatem æui quod ante & post te est, breuitatem vitæ, materiæ imbecillitatem: causas ipsas, ab integumentis nudas, inspice.

Quò referantur actiones, vide: quid dolor, voluptas, mors, gloria, quis sibi ipsi occupationum sit causa. Neminem ab alio impediri, omnia opinionib. constare.

In vsu placitorum, similem oportet esse pancratiastæ, non gladiatori. hic enim enses quo vitur, si deponit, interficitur; alter verò manum semper habet paratam, neque alia re indiget, quàm uti eam contorqueat.

Huiusmodi res considerandæ sunt, diuisione earum facta in materiam, formam, & respectû. Quanta est potètia hominis? Cui licet nihil aliud facere quàm id quod Deus sit laudaturus, & amplecti omnia quæ ei Deus obtulerit.

Quod ad naturam consequitur, eius causa Dei non sunt culpandi, (nam neque volentes, neque inuiti peccant) neque homines.

Quàm ridiculus est, & peregrinus, qui miratur ea quæ in vita sunt.

Omnia sunt aut necessitas fatalis, at-

que ordo ineuitabilis : aut prouidentia placabilis : aut confusio inanis, & nullū habens præfectum. Quòd si est necessitas ineuitabilis, quid reluctaris? Sin prouidentia, quæ admittit placationem, dignum præbe teipsum diuino auxilio. Sin confusio est, cui præsit nemo: contētus esto, quod in tanto rerum fluctu ipse in te habes mentem. Quòd si te abripiat æstus, abripiat sanè corpusculum, animulam, ac reliqua: mentem quidem non abripiet. Quasi verò lumen candelæ tantisper luceat, dum extinguitur, neq; splendorem amittat: veritas autem in te, & iusticia, & temperantia, ante obitum tuum extingui debeat.

Si quis de se opinionem, peccati præbeat, cogita: Ecquid nosti, sit ne peccatum? ac si peccauit, quid si ipse seipsum damnet: idque perinde est, ac suum ipsius lædere oculum. Qui autem prauos peccare non vult, eius similis est, qui nō vult ficum in suo fructu succum ferre, infantes plorare, equum hinnire: ac si quæ sunt alia necessaria. Quid enim aliud faceret, qui hunc sibi habitum contraxit? Si igitur trux est, cura eum morbum.

Sinon

Si non conuenit, ne agas: si non est verum, ne dicas. Tui animi motus ita sint compositi, vt omnia circumspecias. Cogita, quid sit quod cogitationem tibi commouet: idq; excute, diuidendo in causam, materiam, respectum, tempus, intra quod ea res desinet. Senti vel tandem, esse aliquid in te præstantius ac diuinius, quàm ea sunt quæ affectus cient, ac quæ te mouët. Quid enim est intellectus? num metus, num suspicio, num cupiditas, num aliquid aliud tale?

Primò cogita, nihil frustra esse agendum, neq; quod non aliquò referatur: deinde, vt non aliò quàm ad societatem humanam referatur. Paulo pòst nusquàm eris, neq; quicquam eorū quæ nunc cernis, neq; quisquam eorum qui nunc uiuunt. Omnia enim nata sunt ita, vt mutentur, vertantur, & pereant, vt in eorum locum alia nascantur. Omnia opinione constant: hæc autem est in tua potestate. Tolle igitur, cum lubet, opinionem: eruntq; tibi tanquam promontoriū præteruecto omnia serena: & sinus fluctibus vacans. Nulla, quæcunque ea sit actio, malum aliquid patitur, si suo tempore desinat: sicut neq; is qui agit, ea ratione

aliquid mali accipit. Itidem & corpus omnium in vniuersum actionum, quod est vita, si suo tempore desinat, nihil mali ea ratione patitur, neque is qui opportunè finem facit seriei istius actionum, malum aliquod fecit. Tempus verò debitum, & terminum natura constituit: aliquando etiam priuatim, vt in fenestrate: omnino autem vniuersi natura. Cuius quidem partibus mutatis, semper recens & vicens mundus perdurat. Semper verò id pulcrum est, & speciosum, quod conducit vniuerso. Finis itaque vitæ, singulis mala quidem esse non potest: quippe cum non sit turpis. quippe nec voluntate è nostra dependens, & à societate non aliena. Bona autem fit, cū et opportunè fiat respectu vniuersi, et proficit, & diuinitus accidat. His cogitatis, tria hæc in promptu habe. Primum, vt in agendo cures, ne quid frustra agas, aut seculus quàm ipsa iusticia egisset. in rebus extrinsecus accidentibus eas fortunæ nutu, aut prouidentia obtigisse: quarum neutra est incusanda. Secundum, quale vnquodlibet à priuatione fuerit vsq; dū animam accepit, indeq; donec eam reddidit: ex quibus conflatū sit, & in quæ dissoluatur.

soluatur. Tertium, sursum elato animo
 humanas res intuere, earumq; multipli-
 cem varietatem: quàm multa circum in
 aere & in æthere habitent: eaq; te visu-
 rum, quoties in sublime attollaris: vt sint
 omnia vnus speciei, & breui tempore
 durent: tum quis in ijs fastus.

Eijce opinionem, & saluus es. nemo id
 prohibebit.

Rem aliquam molestè ferens, oblitus
 es, omnia fieri secundum Vniuersi natu-
 ram, & quod peccatum sit alienum: præ-
 terea omnia ita, vt nunc fiunt, semper fa-
 cta esse, & futura, nuncq; fieri vbiq;: item
 quæ homini sit cum vniuerso genere ho-
 minum cõiunctio: non ea sanguinis aut
 feminis: sed mentis communicatio. O-
 blitus es etiam, mentem vniuscuiusq; es-
 se deum, & inde fluxisse: nihil cuiquam
 proprium esse, sed illinc & foetum & cor-
 pusculum & ipsam animulam venisse.
 Oblitus es omnia versari in opinione:
 item, quòd id tantùm quod præsens est,
 vnusquisq; viuit, & amittit.

Crebrò apud animum tuũ recole, eos
 qui certis de rebus nimium sunt indigna-
 ti: qui maxima gloria, calamitate, inimici-
 cia, aliæue quacunq; fortuna effloruerũt.

Deinde quære, vbi nam sint ista: nempe fumus sunt, & cinis, & sermo, aut ne hoc ipsum quidem. Simul ad mentem tibi accidat, qualia sint omnia. ut Fabius Cautullinus rure, Lucius Lupus in hortis obijt, Stertinius Baijs, Tiberius Capreis, Velius Rufus *

Et omnino opinionis causa discrimen in rebus indifferentibus statutum. Tum, quàm vile sit omne quod resistit. Item, quanto magis sit philosophiæ consentaneum, in data materia tueri iusticiam, modestiam, ac simpliciter dijs obsequi. Fastus enim, qui superbiæ vacuitatem ostentando exercetur, omnium est grauissimus.

Qui querit, Cur deos colas, quomodo eos videris, aut esse deprehenderis? ei respondebis, Primùm esse eos visiles. deinde, absque hoc sit, tamen animam meam cum non videam, nihilominus magnificio: ita deos quoq; ex viribus eorũ quas identidem percipio, cum esse intelligo, tum veneror. In eo sita est vitæ salus, vt singulas res totas intuearis, quid in ijs formæ sit, quid materiæ. Toto animo age vt iusta agas, & vera dicas. Quid enim superest, quàm vt fruaris vita, bonis

nis bona annectendo, ita vt minimū spaciū intermittas? Vnum est lumen solis, etiam si intercipiatur parietibus, muris, alijsq; innumeris rebus. Vna est communis natura, etsi certo modo affectis corporibus infinitis distincta. Vna anima, etsi naturis innumeris, proprijsq; circumscriptiōibus distributa videatur. Vna etiam mens, etsi discreta videatur. Reliquæ proinde dictorum partes, tanquam spiritus & subiecta insensata, & inuicem nihil coniunctionis habentia, tamen ipsa quoq; à mente & eius potentia continentur. At peculiariter intellectus eiusdem generis adiungit se naturis, neq; à societate diuellitur.

Quid quæris? vt viuas? Id est sentire, appetere, crescere, desinere, loqui, cogitare. Quid horum desideratu dignum tibi videtur? Quòd si vilia sunt omnia hæc, ad extremum te confer, nempe vt sequaris rationem & Deum ducem. Sed vtrum huic instituto pugnat, ægrè ferre aliquid, an verò mors id abolet?

Quanta pars immensi infiniti æui attributa est unicuiq;? celeriter ea in æternitate euanescit. Quanta pars vniuersi? quantaq; animæ vniuersæ? quantula in

glebula terræ repis? Hæc omnia tecum cogitans, nihil animo magnum cōcipe. hoc tantum, vt ductu naturæ agas, & feras quæ communis fert natura. Id cura, quomodo mens tua seipsa vtatur: in hoc enim sunt omnia. Cætera siue à voluntate dependeant, siue secus, mortua sunt, fumusq;.

Id maximè ad contemptum mortis facit, quod hi etiam qui dolorem in malis, & voluptatem in bonis duxerunt, tamè eam despexerunt. Qui id tantum boni nomine dignatur, quod est opportunum, ac cui perinde est pluresne an pauciores secundum rectam rationem præstiterit actiones, neq; in aliquo ponit discrimine, longiorène an breviori tempore mundum contempletur, ei mors nequaquam est terrori. Heus tu, ciuis fuisti in hac magna vrbe: quid attinet, vtrum quinquennio? Etenim quod secundum leges, id omnibus est æquum. Quid ergo graue accidit, si te vrbe emittit dominus: non is quidem iniustus iudex, sed natura quæ te introduxit? perinde ac si prætor histrionem emittat è theatro, in quod eum introduxerit. Quòd si is dicat, se non quinque, sed tres modò actus recitasse: re
 ètè

Etè dicet. At verò in vita tres actus fabu-
lam implent : finem enim is determi-
nat, qui & concretionis olim fuit, & nūc
est dissolutionis autor. Tu neutrius es
causa. Discede igitur æquo animo:
nam & is qui te dimittit,
propitius tibi est.

M. ANTONINI 'PHILOSOPHI
Imperatoris, de vita sua librorum finis.

AUTORVM ELEN-
chus, quorum in hisce Opuscu-
lis testimonia citantur.

Aeschylus	liber.
Aesculapius.	Antisthenes.
Agatharchidis historia Asiana.	Antoninus Liberalis.
Alcman.	M. Antoninus philoso- phus & Imp.
Armelesagoræ descri- ptio Atticæ.	Apollinis oraculum.
Amometus.	Apollodori annales.
Anacreon.	Apollonius grammati- cus.
Andron de Sacrificijs.	Apollonius poeta, & Apollonij Epi- grammata.
Antigoni Alterationum	Arche-